
Supremo Tribunal de la Signatura Apostólica. Sentencia*

Prot. N. 32372/01 C.A.

Dioecesis N.

Revocationis decreti poenalis ab Exc.mo
Episcopo d. 6 Maii a. 1999 adversus
Rev.dum X lati (Exc.mus Ordinarius –
Congregatio pro Clericis) in nomine
Domini. Amen.

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Ioannis Pauli PP. II anno Summi Pon-
tificatus XXVI, die 3 iulii 2004, videntibus
Em.mis ac Rev.mis D.nis Antonio Maria
Card. Rouco Varela, Eduardo Michaële
Card. Egan, Petro Card. Erdö, Augustino
Card. Cacciavillan, Ponente, Iuliano Card.
Herranz, atque Exc.mis ac Rev.mis D.nis
Augustino Vallini, Praefecto, Eduardo
Davino, Henrico Mussinghoff, Francisco
Coccopalmerio et Thoma Georgio Do-
ran, intervenientibus Cl.mo C. Gullo tam-
quam Patrono Exc.mi Episcopi N., Cl.ma
M. Wegan utpote Patrona Congregationis

pro Clericis Rev.dique X et Rev.mo F. Daneels, o.praem., Promotore Iustitiae, in causa de qua supra, hanc tulit

DEFINITIVAM SENTENTIAM

I. Facti species

1. Rev.dus X a mense ianuario 1990 ad mensem novembrem 1995 parochus erat paroeciae Z et dein parochus paroeciae Y in loco v.d. "W".

Suppressa paroecia S medio anno 1996, detectum est magnam pecuniae summam annis 1990-1996 in illis paroeciis acceptam et expensam competentem auctoritatem dioecesanam celatam fuisse atque de illius pecuniae usu saltem magna ex parte non haberi vel non amplius haberi ulla documenta vel adnotationes. Quam ob rem Exc.mus Episcopus N. illi presbytero die 20 februarii 1998 notificavit decisionem instituendi processum poenalem administrativum et die 30 decembris 1998 eum de accusationibus certiore fecit.

Exhibita die 31 martii 1999 scripta defensione a Rev.do A pro Rev.do X, Exc.mus Episcopus die 6 maii eiusdem anni poenale tulit decretum (Summ., pp. 154-161), quo eum ob violationem can. 1377, aggravatam ob abusum officii (cfr. can. 1326 § 1, n. 2), privabat "of all rights, privileges and faculties granted by universal or particular law... Father X is, therefore, not authorized to exercise the ministry of the priesthood either publicly or privately in any manner whatsoever. In view of the amount of money which it has been demonstrated that Father X has alienated for his own purposes, he is also deprived of his right of remuneration, with due regard for the provision of canon 1350, § 1".

Quae poena imponebatur ad tempus indefinitum, donec Rev.dus X recognosceret “his responsibility for all charges... and made full restitution...”. Ad violationem vero can. 1373 quod attinet, una ex parte agnoscebatur hanc ob rem imponi non posse poenam, alia tamen ex parte sermo fiebat de circumstantia aggravanti et de necessitate pro remissione poenae etiam recognoscendi “charges arising from” can. 1373.

2. Frustra petita revocatione praefati decreti (Summ., pp. 170-172), Patronus Rev.di X die 22 iunii 1999 recursum penes Congregationem pro Clericis instituit (Summ., pp. 184-190), quae die 13 martii 2001 (Summ., pp. 206-207) decisionem tulit in favorem Recurrentis, decernens ut ei restituerentur facultates ministeriales, ut revocarentur omnes aliae poenae ei impositae, utque ipse denuo ad ministerium pastorale in dioecesi exercendum admitteretur.

Exc.mus Episcopus tunc epistolis dierum 3 et 6 aprilis 2001 (Summ., pp. 208-215) a Congregatione petiit ut decisionem suam revocare vel saltem emendare vellet, sed Congregatio die 26 aprilis 2001 hanc petitionem revocationis vel emendationis sui decreti reiecit, in epistola vero transmissionis indicans se removere quaestionem remunerationis Rev.do X compensandae (Summ., pp. 217-218), attentis litteris a Patrono Rev.di Recurrentis, die 10 aprilis 2001 ad Exc.mum Episcopum datis (Summ., p. 216).

3. Non acquievit Exc.mus Episcopus, qui die 27 aprilis 2001 ad H.S.T. provocavit (Summ., pp. 219-224; cfr. pp. 224-225), censens recursum habere effectum suspensivum ad impugnatam Congregationis pro Clericis decisionem quod attinet (Summ., p. 227).

Praemissa consueta discussione causae, recursus in Congressu diei 25 octobris 2002 ad disceptationem admissus est (Summ., p. 321) et dubium die 8 novembris 2002 hac sub formula concordatum (Summ., p. 322):

An constet de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad decisionem Congregationis pro Clericis diei 13 Martii 2001, et, quatenus affirmative, num ab H.S.T. de damnis videndum sit.

Decreto diei 4 decembris 2002 Exc.mus H.S.T. Secretarius mandavit “Ill.mum D.num B ‘Revisore-Contabile della Prefettura degli Affari Economici della Santa Sede’ ut votum suum promere velit super quaestionibus oeconomicis de quibus in... causa” (Summ., p. 325). Quo voto die 15 septembris 2003 obtento (Summ., p. 326), Summarium causae confectum est.

Re denuo rite discussa inter Cl.mos Patronos Partium et Rev.mum Promotorem Iustitiae, Nobis dubio proposito respondendum est.

II. In iure et in facto

4. Impugnatum Congregationis pro Clericis decretum diei 13 martii 2001, ab eadem –expuncta vero quaestione de remuneratione Rev.di X compensanda– die 26 aprilis eiusdem anni confirmatum, in primis has memorat accusationes, de quibus in decreto poenali Exc.mi Episcopi N., scilicet: a) Rev.dum X sine requisita licentia bona ecclesiastica alienasse (can. 1377); b) ipsum inter fideles odium adversus Episcopum suscitasse (can. 1373) et c) ipsum alienasse “parish funds for his own purposes” seu reum esse s.d. “appropriationis indebitae” (Summ., p. 160, in fine).

Ad secundam accusationem quod attinet, Dicasterium, cum ipse Exc.mus Episcopus in suo decreto poenali iam agnovit non haberi ex can. 1373 sufficientes rationes ad poenam irrogandam, cum Exc.mo Episcopo consentit et proinde hac de re in suo decreto non amplius tractat.

Ad questionem de asserta “appropriatione indebita” quod attinet, Congregatio contendit quod: “after careful consideration... it cannot be concluded that the Rev. X had ‘alienated parish funds for his own purposes’, it could be concluded however that there was a certain amount of mismanagement and poor bookkeeping involved..., but criminal misappropriation of funds is not evident”.

Ad violationem vero can. 1377 quod attinet, idem vero Dicasterium non dicit explicite eundem canonem applicari non posse in casu, quia requisita licentia, de qua in eodem canone, non requirebatur in assertis alienationibus a Rev.do X patris. Rev.mus vero Promotor Iustitiae in voto suo diei 3 maii 2004 (pp. 6-9) abundanter exposuit delictum, de quo in can. 1377, respicere facti speciem valde specificam et haudquaquam extendi posse ad alias violationes legis contra patrimonium personae iuridicae canonicae.

5. In iure, enim, res ita se habet:

– Praescriptum can. 1377 –scilicet: “Qui sine praescripta licentia bona ecclesiastica alienat, iusta poena puniatur” – respicit cann. 1291 ss. et 638 § 3, atqui in can. 1291 non agitur de qualibet alienatione, sed solummodo de illa quae spectat “bona, quae personae iuridicae publicae ex legitima assignatione patrimonium stabile constituunt et quorum valor summam iure definitam excedit” (cfr. J. T. MARTÍN DE AGAR, *Comentario exegetico...*,

ed. 1^a, IV/1, 524; K. LÜDICKE, MK, 1377/1, n. 2; *Codice di Diritto Canonico commentato*, Ancora, 2001, p. 1088).

– Disputatur inter auctores utrum, necne, can. 1377 sese quoque referat ad can. 1295, iuxta quem: “Requisita ad normam cann. 1291-1294, quibus etiam statuta personarum iuridicarum conformanda sunt, servari debent non solum in alienatione, sed etiam in quolibet negotio, quo condicio patrimonialis personae iuridicae peior fieri possit” (cfr. K. LÜDICKE, MK, 1377/1, n. 2; J. T. MARTÍN DE AGAR, *Comentario exegético...*, ed. 1^a, IV/1, 524, una ex parte, et V. DE PAOLIS – D. CITO, *Le Sanzioni nella Chiesa*, Urbaniana Univ. Press, p. 320, alia ex parte). Leges, enim quae poenam constituunt, “strictae subsunt interpretationi” (can. 18). Quidquid est, opinionum hac de re in doctrina diversitas permittit tenere quod in casu habetur *dubium iuris*, atqui “in dubio standum est pro reo”.

– Doctrina, utcumque, interpretatur personae iuridicae condicionem patrimoniam, de qua in can. 1295, tamquam condicionem eiusdem patrimonii stabilis, quod quidem legitima assignatione determinatur. Quae assignatio “è un atto di straordinaria amministrazione... e va provata: la presunzione è che i beni non siano assegnati al patrimonio stabile. Alcuni beni, però, indipendentemente dalla legittima assegnazione, sono indisponibili...” (*Codice di Diritto Canonico commentato*, 2001, p. 1020: ad can. 1295). Et De Paolis (*I beni temporali della Chiesa*, Bologna 1995, p. 193) animadvertit quod: “Il denaro per sé non appartiene al patrimonio stabile, a meno che non sia vincolato stabilmente come parte del patrimonio stabile”.

– Violatio can. 1377 proinde haberi nequit, nisi agatur de alienatione vel, si et quatenus, de negotiis assimilatis, quae pa-

trimonium stabile respiciunt et praeterea per se simul summam minimam a Conferentia Episcoporum statutam superant (cfr. can. 1292).

6. Item appropriatae et cogentes dicendae sunt Rev.mi Promotoris Iustitiae animadversiones *in facto* (cfr. votum eius, pp. 10-12):

– Exc.mus Episcopus contra obiectiones Rev.di A censuit cann. 1377 et 1295 esse ad rem in casu (Summ., p. 156) et hac in opinione, epistola die 15 novembris 1999 ad Congregationem data, instituit (Summ., p. 194).

– Idem autem Exc.mus Praesul in suo decreto poenali nonnullas graves irregularitates a Rev.do X patratas adduxit, sed non satis indicavit quibus concretis Rev.di X illegitimis negotiis, quo modo et qua mensura condicio patrimonialis illarum paroeciarum inde reapse peior fieri potuisset.

– Ipse, praesertim, non attulit ullam alienationem a Rev.do X factam, ad quam specifica *licentia* iuxta cann. 1291 ss. requisita erat, sed ex asserta violatione can. 1295 dubium gressum fecit ad assertam violationem can. 1377, dum irregularitates adductae respiciunt pecuniam paroeciarum praesentem, quae nullo modo illarum paroeciarum patrimonio stabili assignata *ex actis* probatur; tota summa denique, de qua in casu, infra summam mansit minimam a Conferentia Episcoporum Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis iuxta can. 1292 definitam (500.000 lib. SFAS).

7. Impugnatum Congregationis pro Clericis decretum, etsi non indicat modo explicito rationem motivam ob quam Rev.di X condemnationem poenalem ex can. 1377 sustineri nequit, eam nihilominus sustineri non posse censet, uti ipsa de facto sustineri nequit. Aliis verbis: impugnatum decretum in facti specie (§§ 2 et 4)

mentionem facit de accusatione violationis can. 1377 necnon de relativa poena ab Exc.mo Episcopo ob violatum can. 1377 imposita, sed dein concludit decernendo ut Exc.mus Episcopus omnes tollat poenas Rev.do X impositas, id quod significat Congregationem pro Clericis imputabilitatem eiusdem presbyteri pro delicto, de quo in can. 1377, haudquaquam retinere.

Iam satis de condemnatione poenali ab Exc.mo Episcopo adversus Rev.dum X ex can. 1377 lata, quae in Congregationis pro Clericis decreto legitime sine valido fundamento habita est.

8. Legitur in fine decreti poenalis Exc.mi N. Episcopi diei 6 Maii 1999 (Summ., p. 161): “The penalties specified in this Decree are imposed for an indefinite period of time and will remain effective and in force until such time as Father X has [a] formally acknowledged his responsibility for all charges arising both from canons 1377 and 1373 and [b] made full restitution to the Diocese N. for all funds misappropriated from Z and Y parishes”.

Ad rem impugnatam Congregationis decretum diei 13 Martii 2001 in parte motiva animadvertit agi de violatione can. 1728 § 2: “whereas penalties were imposed upon the Rev. X contingent upon his admission to the charges which were made against him in contravention of canon 1728 § 2”.

Exc.mus vero Episcopus in epistola die 6 aprilis 2001 ad Congregationem data (Summ., pp. 197-198; cfr. p. 220) replicavit se non requisisse a Rev.do X delicti confessionem ad poenam irrogandam, sed tantum ad poenam remittendam (S. 197-198; 220).

Attamen, etiam hoc in casu, perpenso quod agitur de remissione poenae expiatoriae, requisita confessio congruere non videtur cum spiritu can. 1728 § 2, iuxta

quem accusatus “ad confitendum delictum non tenetur”.

9. Quibus dictis, iam patet non constare de violatione legis sive in procedendo sive in decernendo ad decisionem a Congregatione pro Clericis die 13 martii 2001 latam quod attinet. Cadit itaque altera pars dubii propositi, scilicet: “et quatenus affirmative, num ab H.S.T. de damnis videndum sit”.

Si Exc.mus vero N. Episcopus instet pro restitutione, ipse rem Tribunali Metropolitanano... (cfr. can. 1419 § 2) deferat, nisi quaestio per arbitratum ad normam cann. 1713-1716 solvi possit.

10. Em.mi et Exc.mi H.S.T. Patres tamen animadvertunt Rev.do X difficulter denuo curam paroeciae committi posse (cfr. cann. 1740-1741) atque, si et quatenus, perpendendum esse num adversus eum, si recidivus fuerit, servato can. 1362, ex can. 1389 procedi possit.

III. Conclusio

11. Omnibus sive in iure sive in facto aequae rimatis, Collegium Em.morum atque Exc.morum Patrum pro Tribunali sedens ac solum Deum prae oculis habens, dubio proposito respondendum censuit uti respondet:

Negative, seu non constare de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad decisionem Congregationis pro Clericis diei 13 Martii 2001;

Ad alterum: non proponi.

Et ad mentem.

Mens autem haec est: Episcopus uti potest, si et quatenus, iure suo, vi cann. 1740; 1741; 1389 C. I. C.

Summa ab Exc.mo Recurrente apud arcam Signaturae Apostolicae deposita retineatur pro expensis huius Supremi Tribunalis. Partes vero suo quaeque Cl.mo Patrono congruum solvant honorarium.

Ita pronuntiamus ac statuimus, mandantes iis quorum interest, ut hanc Nostram definitivam sententiam executioni tradant, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 3 iulii 2004.

+ Augustinus Vallini, *Praefectus*
Antonius Maria Card. Rouco Varela
Eduardus Michaël Card. Egan
Petrus Card. Erdö
Augustinus Card. Cacciavillan, *Ponens*
Iulianus Card. Herranz
+ Eduardus Davino
+ Henricus Mussinghoff
+ Franciscus Coccopalmerio
+ Thomas Georgius Doran

Die 21 octobris 2004

Notificetur.

+ Velasius De Paolis, *Secretarius*
Vicentius Cárcel Ortí, *Moderator Cancellariae*